

VOLBODVS LEODIENSIS EPISCOPVS.



Volbodus Christianæ uite insigne exemplar inter principes uiros claruit tempore S. Heinrichi Imperatoris. patrem habuit Gotfridum, ducem Montanum, matrem uero Ioannam Balduni junioris comitis Flandriæ filiam. Ab ijs filius omni genere literarum & uirtutum optimè educatus fuit. Hinc factum ut multis uirtutibus ornatus corporis etiam proceritate conspicuus, ad uaria officia imperij traheretur. Ipse uero neglectis huius mundi diuitijs, Christo inferuire statuit, satius esse putans bene uiuendo laudem & gloriam, quam male agendo diuitias cum ignominia nancisci. itaque quæ eius seculi erat simplicitas sese religioni addixit, atque primo Monachus Stabularnicus factus est, ut & Deo & literis commodius uacare posset. Verum tanta erat in rebus agendis dexteritate praeditus, ut ab Ecclesia Traiectensi in Frisia Decanus eligeretur. Postea uero Heinrichi Imperatoris sacerdos factus, & tandem ob insignem eius prudentiam Imperij Romani Cancellarius constitutus. Verum ne sic quidem uirtutibus eius exigentibus fortuna quieuit, sed postremo ipsum Episcopum Leodensem effecit.